

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

**SCHEMA DOCUMENTI
QUO DISCIPLINA SANCTIONUM
SEU POENARUM IN ECCLESIA LATINA
DENUO ORDINATUR**

(Reservatum)



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIII

PRAENOTANDA

Quod attinet ad materiam, Schema in hoc differt a libro V Codicis Iuris Canonici, quod plura relinquit legibus particularibus et praeceptis poenalibus, praesertim de poenis in singula delicta.

Verum quidem est in parte generali, quae normas de delictis in genere, de poenis in genere, de poenis in specie praebet, normas in schemate quantum fieri potuit accurate ac perspicue exaratas esse, quae sint veluti commune complementum cunctarum poenaliu legum, a quolibet Ecclesiae legislatore latarum, ac praeceptorum: eas enim normas, ac praesertim quae principia fundamentalia appellare possumus, decet in tota Ecclesia esse uniformes, cum difficile sit postulare ut unusquisque Episcopus eas ex integro separatim ferat (esset enim immanis labor!), et tamen omnino necessariae sint ad rectam iuris poenalis applicationem, ita ut eas praetermitti nullo modo liceat; neque admiratione careret, si de omnibus iis rebus diversae in diversis locis vigerent normae, cum permultae ex iis directo pendeant ex rationalibus principiis.

Sed, reductis eiusmodi normis ad generalia tantum principia quaedam, eo ipso expanditur campus quo particulares leges, generali legi non contradicentes, possint normas ferre.

At praeterea, ut melius infra perspicietur, canones de poenis in singula delicta ita sunt in schemate propositi, ut maior omnino sit pars quae particularibus legislatoribus et superioribus praecepta ferentibus relinquitur, paucis tantum in generali lege normis collocatis.

PRINCIPIA GENERALIA

In schemate hoc praecipuum fuit propositum ut canones poenales in primis Concilii Vaticani II spiritum saperent. Non solum igitur effectum est ut canones nulli omnino Concilii Oecumenici documento contradicant, verum etiam ut Patrum praecepta et mentem quam fidelissime exprimant.

Itaque totum ius poenale ad externum tantum forum limitatum est, christianae misericordiae maximus datus est locus, pastorales rationes summopere promotae sunt atque totis viribus curatum ut poenitentia iis numquam noceat, et ut humanae personae dignitas et iurium tuitio omnino observentur.

Praeterea — utique adhibito tecnico illo progressu quo ipse CIC laudatus

est, sed vitata ea, quae nimia est interdum, civilium legum limitatione — maxima habita est cura ut praetermitterentur definitiones aliaque, quae ad doctorum magis quam ad legislatoris pertinent officium, et ut verba et locutiones constanter uniformi adhiberentur significatione.

His autem rationibus et systematico ordine aptiore, ut videtur, quaesito, effici potuit ut septuaginta tribus canonibus in schemate amplior contineretur materia, quam quae in CIC ducentis viginti (cann. 2195-2414).

Quodsi inspiciamus quae praecipue nova insint in schemate, primo loco obviam venit norma qua edicitur, nisi lex vel praeceptum aliter expresse caveat, acatholicos baptizatos a poenalibus sanctionibus in Ecclesia eximi (can. 1, § 2).

Mox autem (can. 3, § 1, n. 2) nomen poenarum vindicatarum mutatum perspicitur in « poenas expiatorias », quae locutio ex Sancti Augustini *De civitate Dei* 21, 13 desumpta est.

Maximi sunt momenti eae schematis normae quae eo tendunt ut parcus sit poenarum usus in Ecclesia, et alia potius instrumenta, pastoralia vel etiam iuridica, adhibeantur, antequam ad poenas deveniatur: gravissimas enim poenas lege particulari vel praecepto constitui non posse statuitur (can. 7 et 9 § 2); proponitur autem ut Ordinarius poenas irrogandas vel declarandas tum tantum curet, cum perspexerit neque fraterna correctione neque correptione neque aliis pastoralis sollicitudinis viis satis posse scandalum reparari, iustitiam restitui, reum emendari, idque praevideat poenis efficacius posse obtineri » (can. 27); poenae latae sententiae ad paucissimos casus reductae sunt et curatum est ut etiam in legibus particularibus et in praeceptis eae adhibeantur tantummodo in singularia quaedam delicta dolosa, quae vel graviori esse possint scandalo vel efficaciter puniri poenis ferendae sententiae non possint (can. 8 et 9); item curatum est ut multo parcior sit censurarum usus et ut in delicta generali lege punita aliam poenam lex particularis vel praeceptum non constituat, nisi ex gravissima necessitate (*ibid.*).

Eadem sequitur rationem norma, quae in can. 12 § 2 proponitur, quae, recentiorum legislatorum vestigia sequens, iudici permittit ut eximentes reddat eas circumstantias attenuantes, quae delinquentis debilitatem ostendant, si ipsi videantur aliter quam poenis melius consuli posse delinquentis emendationi.

Mentio praeterea — quo melius perspiciatur quanti Schema fecerit pastorales rationes, ita ut iudex quoque eas promoveat — facienda est alius propositi canonis, quo iudex ad legis normam reum absolvens vel a poena irroganda abstinens potest opportunis monitis, vel etiam, si res ferat et necessitas urgeat, poenalibus remediis, ipsius utilitati vel publico bono consulere, aut ipsum Ordinario commendare ut ea disponat, quae utiliora ad hoc propositum videantur (can. 32).

DE PRAECEPTO POENALI

Normae magis completae proponuntur (can. 9) de praecepto quod poenam comminatur, quod « praeceptum poenale » vocatur, cum diversa omnino locutio (« decretum ») — ne confusio, quae est interdum in CIC, adhuc permaneat —

adhibeatur in can. 28 ad designandum actum, quo poenae extra iudicium irrogantur vel declarantur.

Clarius autem statutum est:

a) qui praeceptum ferre possit;

b) quae poenae per praeceptum constitui non possint (excluduntur poenae expiatoriae perpetuae et dimissio e statu clericali, neque comminatio potest indeterminate fieri).

Quae servanda autem sint in ferendis et intimandis praeceptis, et qui recursus adversus praecepta pateant, ex futura lege de procedura administrativa perspicietur.

DE DELICTO ET DELINQUENTE

Quod attinet ad imputabilitatem, praecipua mutatio proponitur, statuendo puniri posse tantummodo qui dolo egerit, nisi lex vel praeceptum aliter caveat (can. 10 § 2; contra CIC cann. 2199, 2203 § 1, 2229 § 3, 2); cui principio, quod codices poenales civitatum iamdudum sequuntur, nonnullae aliae normae accommodari debuerunt.

Doli definitio, indirecte expressa (can. 10 § 2), eadem est, quae in CIC can. 2200 § 1. Verum omnino suppressa est distinctio illa verborum, quam innuit CIC can. 2229 § 2, significans singularem doli figuram, quem dolum plenum vocant: neque tamen ex hoc timendum est ne severius fiat ius poenale canonicum, cum multo mitiores normae de imputabilitate et de circumstantiis et multo magis perspicuae proponantur.

Doli praesumptio (CIC can. 2200 § 1) suppressa est, servata tantum imputabilitatis praesumptione: si enim praesumptio doli admitti potest (nec tamen semper admittitur) in poenalibus civitatum legibus, cum praesumi rationabiliter possit intentio ponendi actionem vel omissionem, qua delictum committitur, rationi minus consentaneum videtur praesumere etiam intentionem violandi legem, quae intentio ad dolum iure canonico requiritur. Imputabilitatis autem praesumptio cessare dicitur (can. 10 § 3) non ex contraria tantum probatione, sed quoties aliud appareat.

Circumstantiae quae delicti imputabilitatem, vel generatim punibilitatem excludunt, vel delicti gravitatem deminuunt vel augent, quae in CIC cann. 2201-2208 recensentur, iam generalibus tantum verbis enuntiantur, nisi qua specialis norma debuit proponi (cann. 11-13).

Normae de conatu et de delicto frustrato (can. 14; cfr. CIC cann. 2212, 2213, 2235) ita mitiores factae sunt, ut conatus et frustratio nulla poena puniri possint, sed tantummodo poenitentiis vel remediis poenalibus affici (idque facultative), nisi scandalum aliudve grave damnum vel periculum evenerit (hoc quoque casu punitio est facultativa).

DE POENIS

Quod vero ad censuras attinet, complura mutata sunt, praesertim ut mitius, in hac quoque re, fieret ius poenale canonicum.

Nam in primis poenae cessatio, si lex posterior legem vel saltem poenam tollat, statuitur etiam si agatur de censuris iam contractis (can. 4, contra CIC can. 2226 § 3); item statuitur appellationem vel recursum adversus sententiam vel decretum censuram irrogans habere effectum suspensivum (can. 37, contra CIC can. 2243 § 1).

Quo autem melius externum et internum forum, quatenus fieri possit, distinguantur, proponitur ut aboleatur vetitum recipiendi sacramentalem peccatorum absolutionem, quod iure vigenti ex excommunicatione et interdicto personali consequitur; itemque in schemate praetermissae sunt normae quae vetant sacramentalia recipere et normae quae sunt in CIC can. 2262.

Suppressae sunt censurae in communitatem, itemque interdictum generale; abolita est distinctio inter excommunicatos toleratos et vitandos; et generatim uniuscuiusque censurae effectus mitiores effecti sunt et magis perspicue exprimuntur.

Can. 20 subrogat CIC can. 2261 §§ 2-3 aliasque normas connexas, ita tamen mutatas, ut excommunicato vel suspenso cuilibet non solum sacramentalem peccatorum absolutionem sed omnia sacramenta vel sacramentalia administrare et actus quoslibet iurisdictionis ponere libere liceat, quoties id necessarium sit ad consulendum fidelibus in mortis periculo constitutis; praeterea perspicue declaratum est, si a fidei petatur, semper actum ponere licere, cum iusta petendi causa postuletur tantum ut fidelis licite petat, non ut petitioni licite satisfiat.

In poenis expiatoriis (in CIC «vindicativis») iuris communis recensendis earumque effectibus statuendis, suspensio et interdictum praetermissa sunt, ita ut hae poenae esse tantummodo censurae possint (nonnulli tamen suspensionis effectus recensiti ipsi sunt tamquam poenae expiatoriae). Praeterea et infamia et sepulturae ecclesiasticae privatio abolitae sunt, cum et nimis durae sint et minime efficaces; privationem autem sepulturae ecclesiasticae — quae num sit vera poena, cum systemati poenali omnino repugnet, ipso vigenti iure auctores disputant — melius visum est remitti, si servanda videatur, ad canones de ecclesiastica sepultura, etiam quia multae sunt normae de criminali iudicio vel de poenis in genere, quae intellegi et applicari nequeant nisi reo vivente. Abolita etiam est poenalis translatio vel suppressio sedis episcopalis vel paroecialis, ita ut ne in lege quidem particulari possit, si schema ita maneat, constitui (can. 3 § 1, n. 2): nec enim translatio ea vel suppressio est congrua delinquentis punitio, cum quibusdam bonis privet non christifidelem delinquentem tantum sed complures indiscriminatim, innocentes quoque. Item abolita est iure communi, cum et nimis dura visa sit et parum efficax, poena privationis sacramentalium, quae poterit iure particulari, si ita videatur, constitui.

Praeterea, non solum ut minueretur possibilitas statuendi poenas latae sententiae,

sed etiam ad confusiones ac difficultates vitandas quae ex nonnullis poenis, si forte latae sententiae sint, haberi possunt, can. 21 § 2 proponit ut tantummodo nonnullae prohibitiones possint, ex poenis expiatoriis, esse latae sententiae.

DE POENIS APPLICANDIS

Quando suspendatur obligatio servandae poenae, schema aliter moderatur quam CIC cann. 2232, 2254, 2290. Cum enim iam nulla censura impediatur sacramentalem confessionem, casus ille quo durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere considerandus amplius non fuit. Praeterea, cum quaelibet abolita sit ordinaria confessarii potestas sive absolvendi a censura sive suspendendi obligationem servandae poenae expiatoriae, statutum est ut obligatio eam servandi suspendatur ipso iure in certis casibus (qui perspicue in can. 36 recensentur), quod efficit ut nonnumquam ipse delinquens pro sua conscientia sibi debeat quaerere utrum excusetur a poena servanda necne.

De poenis applicandis via non iudiciali, sed administrativa, normae magis perspicuae proponuntur (can. 28), ut procedura haec, quae omnino necessaria videtur in Ecclesia, meliorem ac certiore habeat disciplinam. Ut iam supra dictum est, verbum « decretum », non « praeceptum », adhibitum est — ut in CIC can. 2280 § 1 — ad actum designandum, quo poenae extra iudicium irrogantur vel declarantur, ut omnino iste actus a poenali praecepto distinguatur. Quae poenales sanctiones hac via applicari possint et quae delicta puniri, expresse statuitur, ita ut dubia, quae vigenti iure (cfr. CIC can. 1933 § 2) adsunt, iam auferantur.

Eiusmodi autem decretis applicabitur etiam futura lex de procedura administrativa, praesertim quod attinet ad rationem qua decreta ferri et intimari possint, et ad recursus.

DE POENARUM REMISSIONE

Normae de poenarum remissione (cann. 38-45 schematis; cfr. CIC cann. 2236-2240, 2245-2254) sunt ad simpliciore formam reductae, abolitis censurarum reservationibus Ordinario, et reservationibus speciali vel specialissimo modo; praeterea etiam remissio poenae ab homine permissa est, sub certis condicionibus, Ordinario loci in quo delinquens versatur.

Abolitis specialibus rationibus remittendi poenas in casibus occultis et in casibus urgentioribus, in schematis can. 45 § 3 praecipitur ut caveatur ne reus ullam ex remissionis petitione aut ex ipsa remissione infamiam patiat, nisi quatenus id necessarium sit ad scandalum vel damnum reparandum.

DE POENIS IN SINGULA DELICTA

Contra ac factum est in parte generali, canones de poenis in singula delicta de iis tantum cavent criminibus, quae propter aliquam specialem rationem expediat ut uniformi lege, eaque ab ipso Romano Pontifice lata, per totum orbem terrarum

puniantur, ceteris ad leges particulares et ad praecepta remissis. Ita simul componi videntur et principium subsidiariorum et necessitas praebendi minima illa coercionis instrumenta, sine quibus ecclesiastica societas constare non potest, inimicis ingruentibus. Ecclesiae libertatem interdum violantibus, animorum bonum scandalo destituentibus.

Singulorum autem criminum definitiones magis perspicuae datae sunt, ut dubia de interpretatione — quae multa nunc sunt — ad minimum reducantur.

Canones, pauci quidem prae viginti legislatione, in septem capita distribuuntur, quae sunt:

1. De delictis contra religionem et Ecclesiae unitatem; 2. De delictis contra ecclesiasticas auctoritates et Ecclesiae libertatem; 3. De munerum ecclesiasticorum usurpatione deque delictis in iis exercendis; 4. De crimine falsi; 5. De delictis contra speciales obligationes; 6. De delictis contra hominis vitam et libertatem; 7. Norma generalis.

Norma generalis sufficit can. 2222 § 1 CIC: alteram eiusdem canonis paragraphum visum est in hac lege non esse collocandam, cum, uti ipsa canonis verba significant, non est norma poenalis.

SCHEMA DOCUMENTI
QUO DISCIPLINA SANCTIONUM SEU POENARUM
IN ECCLESIA LATINA DENUO ORDINATUR

HUMANUM CONSORTIUM, sive a Deo immediate institutum sive ab homine suapte natura efformatum, ad perfectionem ipsius hominis ordinari cernitur. Deus auctor naturae, homines in societatem coalescere voluit; Christus vero, qui Filius Dei et humani generis Redemptor est, eos in populum suum congregare, atque ideo « Ecclesiam suam, his in terris ut compaginem visibilem constituit et indesinenter sustentat » (Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 8). « Post resurrectionem suam Petro pascendam tradidit (cf. *Io.* 21, 17), eique ac ceteris Apostolis diffundendam et regendam commisit » (*ibid.*).

1. [*Caritas et coactiva potestas*]. In regimine ac gubernatione cuiusvis societatis inter homines visibiliter constitutae usus potestatis coactivae universaliter stabilitus est. In iure autem ecclesiastico coercibilitas necessario regatur oportet et in praxim deducitur secundum naturam et indolem ipsius Ecclesiae, quae est societas ordinis supernaturalis bonum totale omnium filiorum suorum quaerens, non solum bona sua cum eisdem largissime communicando, verum etiam illos in viam salutis conservando opportunis adhibitis remediis, ne eam derelinquant, et in bonum ordinem, quando ab eo deficient, salutariter restituantur.

Haec est caritas quae in Ecclesia diffunditur in obsequium apostolicae praeceptionis Pastoribus eiusdem datae ut subditos... hortando et monendo, ab illicitis deterreant, ... illos arguant, obsecrent in omni bonitate et patientia (cf. *1 Cor.* 5). « Già San Paolo — data occasione Nosmetipsi dicebamus — ne fece uso nella comunità cristiana di Corinto: basta la prospettiva di questa citazione, per far comprendere

il significato pastorale di un provvedimento tanto severo (*excommunicatio*) preso unicamente in vista della integrità spirituale e morale dell'intera Chiesa e per il bene dello stesso colpevole, *ut spiritus salvus sit in die Domini Nostri Iesu Christi (1 Cor. 5, 5)* » (Allocutio ad Praelatos Auditores, et Officiales Tribunalis Sacrae Romanae Rotae, die 29 mensis ianuarii a. 1970, in *A. A. S.*, 62, 117).

2. [*Pastores non percussores*]. Poenarum seu punctionum necessitas, decursu temporum et quoad numerum et quoad quantitatem qualitatemque earundem in Ecclesia diversimode persensa est, prout mores, consuetudines, genera modique vivendi fidelium in societate christiana illarum efficaciam magis minusve demonstrarunt. Non igitur abs re videtur Nos id brevissime meminisse, ut suadeamus constantem Ecclesiae voluntatem fuisse omnibus Pastoribus in memoriam revocare quod felici Concilii Tridentini monitione continetur et in ipso Codice Iuris canonici (can. 2214) denuo receptum est: « Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores non percussores esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominantur, sed illos tanquam filios et fratres diligant elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur; quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris ac necessaria, conservetur et qui correcti fuerint, emendentur aut, si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis deterreantur » (Conc. Trid., *Sessio XIII*, cap. 1, de ref.).

Huius vero Pastoris imaginem Sanctus Augustinus in se ipso fidelibus suis vivide memoravit dum aiebat: « Revocabo errantem (ovem), requiram perditam. Velis nolis id agam. Revocabo errantem, requiram pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire. Parum est quod doleo te errantem atque pereuntem. Timeo ne, negligens te, etiam quod forte est, occidam. Si neglexero errantem atque pereuntem, et eum, qui fortis est, delectabit errare et perire » (*Sermo 46*, 14-15; cf. *CCL 41*, 542).

Quod vero nonnulli Praedecessores nostri suo iam tempore censuerint poenas ecclesiasticas magnum ad numerum sensim crevisse, quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuissent, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates angoresque conscientiae (Pius IX, Const. *Apostolicae Sedis*, 12 octobris 1869; C. I. C. *Fontes*, n. 552), Nos quoque animo Nostro iampridem eadem revolvebamus. Qua de re Synodus Episcoporum in primo generali coetu, anno 1967 celebrato, quoddam Principium pro recognitione Codicis Iuris Canonici hac de re enuntiavit atque adprobavit, quod nunc ad praxim Ecclesiae convertere oportet, ea mente ut Nostrae dispositionis efficaciam utilitatemque experiendo Nosmetipsi cognoscamus, atque Populi Dei Pastores adiutorium habeant in perdifficili cura animarum hodierni temporis. Itaque visum est poenale Ecclesiae ius ita recognoscere ut non solum sit Ecclesiae ipsius naturae consentaneum et cum supernaturali eius fine congruat, sed etiam ut aequae componat societatis et singulorum necessitates et iura, ut congrue et opportune potestas puniendi a Romano Pontifice et ab Episcopis exerceatur, semper autem ut ante omnia animarum salutem — cui tuendae poenale quoque ius in Ecclesia tendere debet — tueatur ac promoveat.

3. [*Iuris poenalis ratio Concilii Vaticani II principiis accommodata*]. Placet autem Nobis, antequam novos canones proponamus, quaedam principia quae hanc legem dirigunt, breviter enucleare. Etsi legis uniformitas etiam in iure poenali sua habeat commoda, cum tamen necessarium minime videtur ut in Ecclesia omnia facta illicita exteriora poenalibus subiiciantur sanctionibus, tum eo minus necesse est ut in lege pro Ecclesia universali lata omnia facta illicita, quod aliis hominibus vel Ecclesiae aliquod nocumentum afferre possint, singillatim recensentur, ac distincte poenis puniantur. Accedit quod saepe non expedit ut singula delicta apud omnes gentes eadem severitate tractentur, cum fieri possit, ut gravitas aliter apud alios populos sentiatur et damnum et periculum diversa sint in diversis locis.

Quapropter visum est ut in hac Nostra generali lege, ea tantum delicta recenseantur, quae cum vita in societate christiana adeo sint incompatibilia, ut ea perpetrantes debeant a participatione munerum

ecclesiasticorum arceri, et alia ea, quae videantur in toto orbe terrarum uniformi lege esse punienda.

Quae vero facta illicita lege universali poenis non plectuntur, eatenus erunt delicta, quatenus lex particularis vel praeceptum poenas in ea comminentur.

Principia a Synodo Episcoporum Codici Iuris Canonici recognoscendo proposita quae etiam a Nobis approbata fuerunt, pro Nostra hac lege condenda servare voluimus. Ideoque numerum poenarum pro universa Ecclesia latarum valde imminuimus. Id vero fecimus non solum ob supra dictam considerationem quod temporibus moribusque mutatis, a pristina utilitate et opportunitate cumulus poenarum excidit, verum etiam quia Populo Dei novum ac fortius hodie inest motivum dilectionis Ecclesiae et adhaesionis eidem pro adepta maiore libertate quam Concilium Vaticanum II inter signa temporum hominibus in genere et fidelibus in specie agnovit. Nam « numquam homines tam acutum ut hodie sensum libertatis habuerunt, dum nova interea genera socialis et psychicae servitutis exurgunt » (Const. past. *Gaudium et spes*, n. 4). Omnes vero Ecclesiae filios hortamur oportet ut veram libertatem quaerant atque assequantur inter saepta vitae christianae, ea nempe veritate ac libertate qua Christus a peccato nos liberavit (cf. *Gal.* 4, 21).

Eos autem hac libertate utentes confidimus sponte canonibus de exteriori Ecclesiae vita et actione obtemperaturos, ut interiori legi pareant, ut Ecclesiae matris potestati obsequantur, ut pacificae in societate vitae ad exemplum suam conferant operam: quod si fiat, vix umquam poenalis erit lex adhibenda.

Itaque systema poenale Ecclesiae catholicae simplicius breviusque facere intendimus atque ita reformare ut implicatae quaestiones quae ex permixtione fori externi et interni in multis fidelibus saepe saepius gignebantur et conflictus inter utrumque forum, vel dispareant vel ad minimum reducantur. Quem in finem multum valebit limitatio effectuum quam pro poenis gravioribus statuimus.

Animadvertendum etiam ducimus quod nulla censura amplius vetat receptionem sacramenti poenitentiae et unctionis infirmorum, neve earum absolutio cuiquam reservatur nisi id peculiari nostra lege aut praecepto decernatur. Voluimus enim ut una Apostolica Sedes possit remissionem poenarum sibi vel alii reservare neque ulla iam sit speciali vel specialissimo modo iure communi reservata. Amplissima praeterea praesenti

lege dedimus facultatem Ordinariis remittendi poenas sive ferendae sententiae sive latae sententiae, ut dicitur, solis exceptis iis quae praecepto ferantur ab Apostolica Sede lato.

4. [*Morum conversio praeveniat coercendi necessitatem*]. Hortamur quoque Pastores qui in Ecclesia legislativam habent potestatem aut praecepta imponere possunt, ne potestate, qua pollent leges vel praecepta poenis muniendi utantur, nisi quatenus vere necessaria sint ad aptius providendum ecclesiasticae disciplinae, in exemplum Domini Nostri intuentes, qui *se mitem et humilem corde professus est*, quique reliquit nobis exemplum ut sequamur vestigia eius, in spiritu lenitatis et mansuetudinis « cum saepe plus erga corrigendos — prouti memoratum est — agat benevolentia, quam auctoritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas quam potestas » (Conc. Trid., *Sess. XIII*, cap. 1 de ref.).

In magnam atque suavem spem ducimur fore, ut honor Populi Dei magis magisque augeatur per emendationem vitae, conversionem morum, pietatis ac sanctitatis augmentum, Pastoribus submissionem, disciplinae observantiam, fraternitatis amorem. Sic multa erit apud vos, multa nobis gloriatio pro vobis (cf. *2 Cor. 7, 4*).

Quamobrem, motu proprio et auctoritate Nostra Apostolica, eas, quae sequuntur, leges decernimus et statuimus, abrogatis cunctis canonibus libri quinti Codicis Iuris Canonici, ita ut fideliter serventur a die... donec novus Codex Iuris Canonici promulgetur.

PARS PRIMA

DE DELICTIS ET POENIS IN GENERE

I

DE DELICTORUM PUNITIONE GENERATIM

Can. 1. § 1. Nativum et proprium Ecclesiae ius est christifideles poenalibus sanctionibus coercendi qui legem vel praeceptum violaverint vel scandalum dederint.

§ 2. Nisi lex vel praeceptum aliter expresse caveant, acatholici baptizati a poenalibus sanctionibus in Ecclesia eximuntur.

Can. 2. Si lex vel praeceptum poenas comminetur in animi vel mentis manifestationem, delictum consummatur cum aliquis eam manifestationem percipiat.

Can. 3. § 1. Ad delinquentis emendationem et punitionem in Ecclesia adhibentur:

1) poenae medicinales seu censurae, quae in cann. 16-18 recensentur;

2) poenae expiatoriae,* quae christifidelem aliquo bono spirituali vel temporali privent, et supernaturali Ecclesiae fini sint consentaneae.

§ 2. Praeterea remedia poenalia et paenitentiae adhibentur, illa quidem praesertim ad delicta praecavenda, hae potius ad poenam subrogandam vel augendam.

II

DE LEGE POENALI AC DE PRAECEPTO POENALI

Can. 4. § 1. Si, postquam delictum commissum sit, lex mutetur, applicanda est lex reo favorabilior.

* Qua locutione, ut in « Praenotanda » (p. 6) animadversum est, appellabuntur in posterum poenae « vindicativae », quae hactenus dicuntur.

§ 2. Quod si lex posterior tollat legem vel saltem poenam, haec statim cessat, etiam si agatur de censura iam contracta.

Can. 5. Poena per se est ferendae sententiae, ita ut reum non teneat, nisi postquam irrogata sit; incurritur autem ipso facto commissi delicti, si in lege vel praecepto expresse dicatur esse latae sententiae.

Can. 6. Qui legislativum habet potestatem, potest suis legibus quamlibet legem divinam, aut legem ecclesiasticam intra ambitum suae iurisdictionis vigentem congrua poena, vel ab ipso determinata vel prudenti iudicis arbitrio determinanda, munire; quod si quis legislativam potestatem de quibusdam tantum rebus habeat, de iis tantum potest poenalem legem ferre.

Can. 7. Dimissio e statu clericali lege particulari constitui nequit. Aliae autem poenae eatenus constituentur, quatenus vere necessariae sint ad aptius providendum ecclesiasticae disciplinae.

Can. 8. Latae sententiae poenas ne comminetur legislator, nisi forte in singularia quaedam delicta dolosa, quae vel graviore esse possint scandalo vel efficaciter puniri poenis ferendae sententiae non possint; censuras, praesertim excommunicationem, ne constituat, nisi maxima cum moderatione et in sola delicta graviora vel in recidivos. Neque in delicta generali lege punita aliam poenam, nisi ex gravissima necessitate, constituat.

Can. 9. § 1. Quatenus quis potest praecepta imponere, eatenus potest etiam poenas determinatas, exceptis expiatoriis perpetuis, per praeceptum comminari.

§ 2. Praeceptum poenale ne feratur, nisi re mature perpensa, et iis servatis, quae in can. 7 et 8 de legibus particularibus statuuntur.

III

DE SUBIECTO POENALIBUS SANCTIONIBUS OBNOXIO

Can. 10. § 1. Nemo punitur, nisi legis vel praecepti violatio, ab eo commissa, sit graviter imputabilis ex dolo vel ex culpa.

§ 2. Nisi lex vel praeceptum aliter caveat, sanctionibus poenalibus is tantum subiicitur, qui delictum dolo patravit, id est qui legem vel praeceptum violare deliberate voluit.

§ 3. Posita externa legis violatione imputabiilitas praesumitur, nisi aliud appareat.

Can. 11. Qui habitualiter rationis usu carent, etsi legem vel praeceptum violaverunt dum sani videbantur, delicti incapaces censentur.

Can. 12. § 1. Si qua adsit circumstantia, quae delicti gravitatem deminuat, dummodo tamen gravis adhuc sit delicti imputabilitas, iudex poenam lege vel praecepto statutam temperare debet.

§ 2. Quod si delinquens vel usum rationis imperfectum tantum habuerit, vel delictum ex metu vel necessitate vel passionis aestu vel in ebrietate aliaque simili mentis perturbatione patrauerit, iudex potest etiam a qualibet punitione irroganda abstinere, si censeat aliter posse melius consuli eius emendationi.

§ 3. Nulli autem poenali sanctioni est obnoxius, qui, cum legem vel praeceptum violavit, duodevicesimum aetatis annum non expleverit, etiamsi rationis usum plenum habuerit et delictum dolo patrauerit.

Can. 13. Si delictum a recidivo commissum sit, vel si alia adsint extraordinaria adiuncta, quae delicti gravitatem augeant, iudex potest reum gravius punire quam lex vel praeceptum statuit.

Can. 14. § 1. Qui aliquid ad delictum patrandum egit vel omisit, nec tamen, praeter suam voluntatem, delictum consummavit, non tenetur poena in delictum consummatum statuta, nisi lex vel praeceptum aliter caveat.

§ 2. Quodsi actus vel omissiones natura sua ad delicti executionem conducunt, auctor potest paenitentiae vel remedio poenali subiici, nisi sponte ab incepta delicti executione destiterit. Si autem scandalum aliudve grave damnum vel periculum evenerit, auctor, etsi sponte destiterit, iusta potest poena puniri, leviore tamen quam quae in delictum consummatum constituta est.

Can. 15. § 1. Qui communi delinquendi consilio in delictum concurrunt neque in lege vel praecepto expresse nominantur, si poenae ferendae sententiae in auctorem principalem constitutae sint, iisdem poenis puniri possunt vel aliis eiusdem vel minoris gravitatis.

§ 2. In poenam latae sententiae delicto adnexam incurrunt com-

plices, qui in lege vel praecepto non nominantur, si sine eorum opera delictum patratum non esset, et poena sit talis naturae, ut ipsos afficere possit; secus poenis ferendae sententiae puniri possunt.

IV

DE POENIS ALIISQUE PUNITIONIBUS

De censuris

Can. 16. § 1. Excommunicatio vetat:

a) ullam habere participationem in celebrandis Eucharistico Sacrificio vel quibuslibet publici cultus caeremoniis;

b) sacramenta, exceptis paenitentia et infirmorum unctione, recipere, et sacramenta vel sacramentalia conficere vel administrare;

c) ecclesiasticis officiis vel muneribus quibuslibet fungi vel actus regiminis ponere.

§ 2. Praeterea excommunicatus promoveri nequit ad ordines.

§ 3. Postquam excommunicatio irrogata vel declarata est, excommunicatus:

a) si agere velit contra praescriptum § 1, *a*, est arcendus aut ab officio est cessandum, nisi gravis obstet causa;

b) invalide ponit actus regiminis, qui ad normam § 1, *c*, sunt illiciti;

c) vetatur frui privilegiis antea concessis;

d) nequit valide consequi dignitatem, officium, aliudve munus in Ecclesia, vel pensionem ecclesiasticam;

e) fructus dignitatis, officii, muneris cuiuslibet, pensionis, quae quidem habeat in Ecclesia, non facit suos.

Can. 17. § 1. Interdictum vetat:

a) ullam habere participationem in celebrandis Eucharistico Sacrificio vel quibuslibet publici cultus caeremoniis;

b) sacramenta, exceptis paenitentia et infirmorum unctione, recipere, et sacramenta vel sacramentalia conficere vel administrare.

§ 2. Praeterea interdictus promoveri nequit ad ordines.

§ 3. Postquam interdictum irrogatum vel declaratum est, interdictus, si agere velit contra praescriptum § 1, *a*, est arcendus aut ab officio est cessandum, nisi gravis obstat causa.

Can. 18. § 1. Suspendio vetat, numquam autem sub poena nullitatis:

- a) omnes vel aliquos actus potestatis ordinis;
- b) omnes vel aliquos actus potestatis regiminis;
- c) exercitium omnium vel aliquorum iurium vel munerum officio inhaerentium.

§ 2. Vetitum numquam afficit:

- a) officia vel regiminis potestatem, quae non sint sub potestate superioris poenam constituentis;
- b) officia vel regiminis potestatem, quae non sint sub potestate eius Ordinarii, qui iudicium ad poenam irrogandam promovit vel decreto eam per se vel per alium irrogat;
- c) ius, si quod reus habeat, habitandi in aedibus beneficialibus;
- d) ius administrandi bona, quae ad ipsius suspensi officium forte pertineant, si poena sit latae sententiae.

§ 3. Suspendio vetans fructus, stipendium, pensiones aliudve percipere secum fert obligationem restituendi quidquid illegitime, quamvis bona fide, perceptum sit.

Can. 19. § 1. Suspensionis ambitus, intra limites numero praecedenti statutos, aut ipsa lege vel praecepto definitur, aut sententia vel decreto quo poena irrogatur.

§ 2. Lex, non autem praeceptum, potest latae sententiae suspensionem, nulla addita determinatione vel limitatione, constituere; eiusmodi autem poena omnes effectus, qui in can. 18, § 1 recensentur, habet, servato tamen praescripto § 2 eiusdem canonis.

Can. 20. Si censura vetet conficere vel administrare sacramenta vel sacramentalia vel ponere actum regiminis, vetitum suspenditur, quoties id necessarium sit ad consulendum fidelibus in mortis periculo constitutis; quod si censura neque irrogata sit neque declarata, vetitum praeterea suspenditur, quoties fidelis petat sacramentum vel sacramentale vel actum regiminis: id autem petere ex qualibet iusta causa licet.

De poenis expiatoriis

Can. 21. § 1. Poenae expiatoriae, quae delinquentem afficere possunt aut in perpetuum aut in tempus praefinitum aut in tempus indeterminatum, praeter alias, quas forte lex constituerit, hae sunt:

a) prohibitio vel praescriptio commorandi in certo loco vel territorio;

b) privatio potestatis, officii, muneris, iuris, privilegii, facultatis, gratiae, tituli, insignis, etiam mere honorifici;

c) prohibitio ea exercendi, quae sub *b* recensentur, vel prohibitio ea in certo loco vel extra certum locum exercendi; quae prohibitiones numquam sunt sub poena nullitatis;

d) translatio poenalis ab officio ad aliud inferius;

e) dimissio e statu clericali.

§ 2. Latae sententiae eae tantum poenae expiatoriae esse possunt, quae in § 1, *c*, recensentur.

Can. 22. § 1. Prohibitio commorandi in certo loco vel territorio clericos vel religiosos afficere potest; praescriptio autem clericos saeculares tantum, salvo tamen iure particulari uniuscuiusque religionis.

§ 2. Ut praescriptio commorandi in certo loco vel territorio irrogetur, accedat oportet consensus Ordinarii illius loci, nisi agatur vel de domo religiosa exempta, eius superiore consentiente, vel de domo extradioecesanis quoque clericis paenitentibus vel emendandis destinata.

Can. 23. § 1. Privationes et prohibitiones, quae in can. 21, § 1, *b* et *c* recensentur, numquam afficiunt potestates, officia, munera, iura, privilegia, facultates, gratias, titulos, insignia, quae non sint sub potestate superioris poenam constituentis; neque ea, quae non sint sub potestate eius Ordinarii, qui iudicium ad poenam irrogandam promovit vel decreto eam per se vel per alium irrogat.

§ 2. Potestatis ordinis privatio dari nequit, sed tantum prohibitio eam vel aliquos eius actus exercendi; item dari nequit privatio graduum academicorum.

§ 3. De prohibitionibus, quae in can. 21, § 1, *c* indicantur, norma de qua in can. 20, servatis servandis, valet.

Can. 24. Clericus e statu clericali dimissus privatur omnibus officiis, muneribus, pensionibus, et potestate qualibet delegata; fit ad ea inhabilis; potestatem ordinis exercere prohibetur; promoveri nequit ad ordines; et generatim laicis, quod ad iuridicos effectus attinet, aequiparatur, nisi quid lex generalis exceperit.

De aliis punitiōibus

Can. 25. § 1. Eum, qui versatur in proxima delinquendi occasione, vel in quem, ex investigatione peracta, gravis cadit suspicio delicti commissi, Ordinarius per se vel per alium monere potest; eum vero, ex cuius conversatione scandalum vel gravis ordinis perturbatio oriatur, etiam corripere potest, modo peculiaribus personae et facti conditionibus accommodato.

§ 2. De monitione et correptione constare semper debet saltem ex aliquo documento, quod in secreto curiae archivo servetur: publica autem correptio fieri tantum potest in reum de delicto convictum vel confessum.

Can. 26. § 1. Paenitentia, quae imponi potest in foro externo, est modicum aliquod religionis vel pietatis vel caritatis opus peragendum.

§ 2. Ob transgressionem occultam numquam publica imponatur paenitentia.

§ 3. Paenitentias Ordinarius pro sua prudentia addere potest poenali remedio monitionis vel correptionis.

V

DE POENIS APPLICANDIS

Can. 27. Ordinarius poenas irrogandas vel declarandas tunc tantum curet, cum perspexerit neque fraterna correctione neque correptione neque aliis pastoralis sollicitudinis viis satis posse scandalum reparari, iustitiam restitui, reum emendari, idque praevideat poenis efficacius posse obtineri.

Can. 28. § 1. Quoties graves obstent causae ne iudicialis processus fiat, et probationes de delicto evidentes sint neque actio criminalis sit extincta, poena irrogari vel declarari potest per decretum extra iudicium; paenitentiae autem et remedia poenalia applicari possunt per decretum in quolibet casu.

§ 2. Per decretum neque irrogari neque declarari possunt poenae perpetuae, neque poenae lege particulari vel praecepto constitutae, quas lex vel praeceptum vetet per decretum applicare.

§ 3. Quae in lege vel praecepto dicuntur de iudice, quod attinet ad poenam irrogandam vel declarandam in iudicio, applicanda sunt ad superiorem, qui per decretum extra iudicium poenam irroget vel declaret, nisi aliter constet neque agatur de praescriptis quae ad procedendi tantum rationem attinent.

Can. 29. Si lex vel praeceptum iudici det potestatem applicandi vel non applicandi poenam, iudex potest etiam, pro sua conscientia et prudentia, poenam temperare vel in eius locum paenitentiam imponere.

Can. 30. Etiam si lex utatur verbis praeceptivis, iudex pro sua conscientia et prudentia potest:

a) poenae irrogationem in tempus magis opportunum differre, si ex praepropera rei punitione maiora mala eventura praevideantur;

b) a poena irroganda abstinere vel poenam mitiorem irrogare aut paenitentiam adhibere, si reus emendatus sit et scandalum reparaverit, aut si perspiciatur punitionem ei datam vel dandam a civili auctoritate, Ecclesiae quoque necessitatibus satisfacere;

c) si reus primum post vitam laudabiliter peractam deliquerit neque necessitas urgeat reparandi scandalum, obligationem servandi poenam expiatoriam suspendere, ita tamen ut, si reus intra tempus ab ipso iudice determinatum rursus deliquerit, poenam utrique delicto debitam luat, nisi interim tempus decurrerit ad actionis poenalis pro priore delicto praescriptionem.

Can. 31. § 1. Censura irrogari vel declarari nequit, nisi antea reus semel saltem monitus sit ut a contumacia recedat, dato congruo ad resipiscentiam tempore.

§ 2. A contumacia recessisse dicendus est reus, qui delinquendi voluntatem sincere abiecerit, quique praeterea congruam damnorum et scandali reparationem dederit vel saltem serio promiserit.

Can. 32. Iudex ad legis normam reum absolvens vel a poena irroganda abstinens potest opportunis monitis, vel etiam, si res ferat et necessitas urgeat, poenalibus remediis, ipsius utilitati vel publico bono consulere, aut ipsum Ordinario commendare ut ea disponat, quae utiliora ad hoc propositum videantur.

Can. 33. Si poena sit indeterminata neque aliud lex caveat, iudex poenas graviores, praesertim censuras, ne irroget, nisi casus gravitas id omnino postulet; perpetuas autem poenas irrogare non potest.

Can. 34. § 1. In poenis expiatoriis clerico irrogandis semper cavendum est ut ei salva sint quae ad honestam sustentationem sunt necessaria, nisi agatur de clerico e statu clericali dimisso.

§ 2. Clerico autem e statu clericali dimisso, vel censurato, qui propter poenas vere indigeat, Ordinarius quo meliore fieri potest modo providere curet.

Can. 35. Nisi aliud expresse caveatur, poena reum ubique tenet, etiam resoluta iure eius qui poenam constituit vel irrogavit.

Can. 36. § 1. Obligatio servandae poenae suspenditur, quando reus in mortis periculo versatur.

§ 2. Praeterea, quando reus poenam servare nequit sine periculo gravis scandali vel infamiae, obligatio ex toto vel ex parte suspenditur, nisi:

- a) vel poena sit notoria in loco in quo delinquens versatur;
- b) vel superior observantiam legitime urgeat;
- c) vel observantia necessaria sit ad scandalum vel damnum reparandum.

§ 3. Superior potest poenae observantiam urgere, si poena sit irrogata vel declarata; item potest urgere, si delictum, poena latae sententiae punitum, certum sit ex iudiciali delinquentis confessione vel sit notorium, et ipse poenae observantiam utilem existimet ad scandalum vel damnum reparandum.

Can. 37. A sententiis iudicialibus vel a decretis, quae poenam quamlibet vel aliam punitionem irrogent vel declarent, appellatio vel recursus datur cum effectu suspensivo intra terminos iure statutos.

VI

DE POENARUM CESSATIONE

Can. 38. § 1. Praeter eos, qui in cann. 39-40 recensentur, omnes, qui a lege, quae poena munita est, dispensare possunt vel a praecepto poenam comminanti eximere, possunt etiam eam poenam remittere.

§ 2. Potest praeterea lex vel praeceptum, poenam constituens, aliis quoque potestatem facere remittendi.

Can. 39. § 1. Poenam ferendae sententiae lege constitutam remittere possunt:

a) Ordinarius, qui iudicium ad poenam irrogandam promovit vel decreto eam per se vel per alium irrogavit;

b) Ordinarius loci in quo delinquens versatur, consulto tamen, nisi propter extraordinarias circumstantias impossibile sit, Ordinario, de quo sub *a*.

§ 2. Poenam latae sententiae lege constitutam potest Ordinarius remittere suis subditis et iis qui in ipsius territorio versantur vel ibi deliquerint.

Can. 40. § 1. Poenam ferendae vel latae sententiae constitutam praecepto quod non sit ab Apostolica Sede latum, remittere possunt:

a) Ordinarius, qui iudicium ad poenam irrogandam promovit vel decreto eam per se vel per alium irrogavit;

b) Ordinarius loci, in quo delinquens versatur.

§ 2. Antequam remissio fiat, consulendus est, nisi propter extraordinarias circumstantias impossibile sit, praecepti auctor.

Can. 41. Potest Apostolica Sedes poenae remissionem sibi vel alii reservare; reservatio autem stricte est interpretanda.

Can. 42. § 1. Remissio censurae dari non potest nisi delinquenti qui a contumacia, ad normam can 31, § 2, recesserit; ei autem denegari nequit.

§ 2. Qui censuram remittit, potest ad normam can. 32 providere vel etiam paenitentiam imponere.

O»:. 43. Si quis pluribus poenis detineatur, remissio valet tantummodo pro poenis in ipsa expressis; generalis autem remissio omnes aufert poenas, iis exceptis quas in petitione reus mala fide reticuerit.

Can. 44. Poenae remissio metu gravi extorta nihil valet.

Can. 45. § 1. Remissio dari potest etiam absenti vel sub conditione.

§ 2. Remissio detur scripto, nisi gravis causa aliud suadeat.

§ 3. Caveatur ne reus ullam ex remissionis petitione aut ex ipsa remissione infamiam patiat, nisi quatenus id necessarium sit ad scandalum vel damnum reparandum.

Can. 46. § 1. Praescriptio exstinguit actionem criminalem triennio, quod attinet ad delicta iure communi punita et, nisi lex particularis aliud statuatur, etiam quod attinet ad cetera delicta.

§ 2. Praescriptio decurrit ex die quo delictum patratum est, vel, si delictum sit permanens vel habituale, ex die quo cessavit.

Can. 47. Actio poenalis praescriptione exstinguitur post idem temporis spatium, quo actio criminalis; praescriptio autem computatur ex die quo poena irrogata vel declarata est.

PARS SECUNDA
DE POENIS IN SINGULA DELICTA

I

DE DELICTIS CONTRA RELIGIONEM ET ECCLESIAE UNITATEM

Can. 48. § 1. Qui haeresim profert, et ab Apostolica Sede vel ab Ordinario admonitus non retractat, censura puniatur; clericus praeterea potest prohibitionibus vel etiam privationibus, de quibus in can. 21, § 1, *b* et *c*, puniri.

§ 2. Qui schisma suscitatur, et ab Apostolica Sede vel ab Ordinario admonitus omittit recedere et actionem suam omnino revocare, excommunicetur; clerico autem aliae poenae, de quibus in § 1, addi possunt.

§ 3. In casibus, de quibus in §§ 1 et 2, si diuturna contumacia **vel** scandali gravitas postulet, aliae poenae, iteratis antea, si res ferat. **monitis**, addi possunt, non excepta dimissione e statu clericali.

Can. 49. Qui species consecratas **abicit aut in sacxdegm finem** abducit vel retinet, in **exconimunicatiooein latae sententiae** incurrit; clericus praeterea alia **poena. non rrrkwa dJmkannr** e statu clericali, puniri potest.

Can. 50. Si qms. quid asserens vel promittens coram ecclesiastica auctoritate, periurium **committit**, iusta poena puniri potest.

II

**DE DELICTIS CONTRA ECCLESIASTICAS AUCTORITATES
ET ECCLESIAE LIBERTATEM**

Can. 51. § 1. Qui vim physicam in Romanum Pontificem adhibet, in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae reservatam incurrit, cui, si clericus sit, alia poena, non exclusam dimissione e statu clericali, pro delicti gravitate addi potest.

§ 2. Qui id agit in alium episcopali caractere pollentem, in interdictum latae sententiae, et, si sit clericus, etiam in suspensionem latae sententiae incurrit.

§ 3. Qui vim physicam in alium clericum vel religiosum adhibet in fidei vel Ecclesiae vel ecclesiasticae potestatis vel ministerii contemptum, iusta poena puniri potest.

§ 4. Occisio, etiam sine vera vi physica, huius canonis normis semper comprehenditur.

Can. 52. Iusta poena puniri potest:

1) qui, praeter casum de quo in can. 48, § 1, doctrinam a Romano Pontifice vel a Concilio oecumenico traditam impugnat vel damnatam docet, et ab Apostolica Sede vel ab Ordinario admonitus non retractat;

2) qui aliter Sedi Apostolicae, Ordinario, vel Moderatori legitime praecipienti vel prohibenti non obtemperat, et post monitum in inobedientia persistat.

Can. 53. Qui publice aut subditorum simultates vel odia adversus Sedem Apostolicam vel Ordinarium excitat propter aliquem potestatis vel ministerii ecclesiastici actum, aut subditos ad inobedientiam in eos provocat, interdicto aliisque iustis poenis puniri potest.

Can. 54. Qui impediunt libertatem ministerii vel electionis vel potestatis ecclesiasticae aut legitimum bonorum sacrorum aliorumve ecclesiasticorum bonorum usum, aut perterrefaciunt electorem vel electum vel qui potestatem vel ministerium ecclesiasticum exercuit, iusta poena puniri possunt.

III

DE MUNERUM ECCLESIASTICORUM USURPATIONE DEQUE DELICTIS IN IIS EXERCENDIS

Can. 55. § 1. In poenam latae sententiae interdicti, vel, si sit clericus, suspensionis, incurrit:

1) qui, potestate sacerdotali carens, Eucharistici Sacrificii celebrationem ad malum finem simulat;

2) qui, cum sacramentalem absolutionem dare valide nequeat, eam impertire se fingit vel sacramentalem confessionem audit.

§ 2. *Pto* ddicti gravitate aliae poenae, non exclusa excommuni-
catioae. **JCC**: possunt.

CM*. 36. Qui ad malum finem, praeter casus, de quibus in can. 55
sacri-;-- .ministrare simulat, iusta poena puniatur.

Cax. 57. § 1. Quicumque officium ecclesiasticum, clericis vel reli-
giosis reseratum, usurpat, iusta poena puniatur.

§ 2. Quicumque aliud officium vel munus in Ecclesia usurpat, prae-
ter casus, de quibus in cann. 55 et 56, iusta poena puniri potest.

§ 3. L >urpationi aequiparatur illegitima, post privationem vel ces-
sadooem a munere, retentio.

Can. 58. Qui, praeter casus, de quibus in cann. 55, 56, 57, sacer-
dotale munus vel aliud sacrum ministerium illegitime exsequitur, iusta
poena puniri potest.

Cam 59. Qui quaestum illegitime facit ex Missae stipendio. iusta
poena puniatur.

CJK. 60. Qui quidvis donat vel pollicetur ut quis. mnos k
clesia exercens, illegitime quid agat vel omittat. **incta poena poaae**
potest; item puniri potest, qui ea dona vel poflidsaBaDes aaaepsaL-

Can. 61. Confessarius sollicitans m acaa **oaaeeaBODB** pro *cJpmt*
gravitate suspensione, prohibitionaran *fnnmmJbm* paanatnr et in casi-
bus gravioribus dimittatur e sxanc ilria a8

Can. 62. CooleaHam. *qm* sacramentale sigillum directe violat,
in suspensioneaa latae aaaendae incurrit.

CMU. 63. Eodesiastica potestate vel munere abutens pro delicti
pomamr. non exclusa officii privatione, nisi in eum abusum
T< le^e vel praecepto constituta.

IV

DE CRIMINE FALSI

Can. 64. § 1. Qui confessarium de delicto de quo in can. 61,
apud ecclesiasticum superiorem falso denuntiat, in interdictum latae sen-
tentiae incurrit; et, si sit clericus, etiam in suspensionem.

§ 2. Qui aliam ecclesiastico superiori calumniosam praebet delicti denuntiationem, vel alterius famam per calumniam apud alios laedit, iusta poena, non exclusa censura, puniri potest.

§ 3. Calumniator potest cogi etiam ad congruam satisfactionem praestandam.

Can. 65. Iusta poena pro delicti gravitate puniri potest:

- 1) qui ecclesiasticum documentum falsum conficit, vel verum mutat, destruit, occultat, vel falso vel mutato utitur;
- 2) qui alio falso vel mutato documento utitur in re ecclesiastica;
- 3) qui in publico ecclesiastico documento falsum assertit.

V

DE DELICTIS CONTRA SPECIALES OBLIGATIONES

Can. 66. Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem contra canonum praescripta exercentes pro delicti gravitate puniantur.

Can. 67. Qui obligationes sibi ex poena impositas violat, iusta alia poena puniri potest.

Can. 68. § 1. Clericus matrimonium, vel aliam caeremoniam, quam ipse pro matrimonii celebratione haberi velit, iniens, in suspensionem latae sententiae incurrit; quod si monitus non resipuerit et scandalum dare perrexerit, gradatim privationibus vel etiam dimissione e statu clericali puniri potest.

§ 2. Religiosus votorum perpetuorum, qui non sit clericus in sacris, itemque religiosa votorum perpetuorum, matrimonium vel caeremoniam de qua in § 1 iniens, prohibitionibus, de quibus in can. 21, § 1, c, puniri potest, vel etiam aliis poenis pro delicti gravitate.

Can. 69. § 1. Clericus concubinarius, praeter casum de quo in can. 68, § 1, vel aliter in peccato externo contra sextum Decalogi praeceptum cum scandalo permanens, suspensione puniatur, cui, persistente post monitionem delicto, aliae poenae gradatim addi possunt usque ad dimissionem e statu clericali.

§ 2. Si aliter contra sextum Decalogi praeceptum deliquerit, si

quidem delictum vi vel minis vel publice vel cum minore infra aetatem sexdecim annorum patratum sit, iustis poenis puniatur, non exclusa, si casus ferat, dimissione e statu clericali.

VI

DE DELICTIS CONTRA HOMINIS VITAM ET LIBERTATEM

Can. 70. Qui homicidium patrat, privationibus et prohibitionibus, de quibus in can. 21, § 1, *b* et *c*, pro delicti gravitate puniatur, praeter poenas can. 51 statutas, si in personas ibi recensitas delictum patretur.

Can. 71. Qui abortum procurat, in latae sententiae interdictum incurrit, et, si sit clericus, etiam in suspensionem.

Can. 72. Qui hominem vi vel fraude rapit vel detinet vel graviter vulnerat vel mutilat, iusta poena, pro delicti gravitate, puniri potest.

VII

NORMA GENERALIS

Can. 73. Praeter casus hac vel aliis legibus statutos, divinae vel ecclesiasticae legis externa violatio tunc tantum potest, iusta quidem poena vel paenitentia, puniri. cum sit de re valde gravi, specialis violationis gravitas punitionem postulet, et necessitas urgeat scandala praeveniendi vel reparandi.